Lucina cum clericis, & sepeliuit in crypta iuxta cæmeterium Calixti in prædio suo via Appia, decimo octauo Kalendas Octobris. Et cessauit Episcopatus dies * triginta quinque.

In vetusto quodam exemplari sic legitur.

Hic iam ante passionem suam omnia bona Ecclesiæ, tradidit Stephano Archidiacono suo. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrium, & ordinauit presbyteros quatuor, diacones quatuor, Episcopos per diuersa loca numero septem, Epistolas atque decreta Episcopis & Catholicis viris per diuersa loca direxit.

Ex Epistola beati Cypriani ad Antonianum de eodem sanctissimo Pontifice, quæ est libri 4. Epistola 2. Pamelianæ vero editionis 52. Epistola.

I. VENIO iamnunc, frater charissime, ad personam Cornelij collegæ nostri, vt Cornelium nobiscum verius noueris, non de malignorum & detrahentiũ mendacio, sed de Domini Dei iudicio, qui Episcopum fecit, & coepiscoporum testimonio, quorum numerus vniuersus per totum mundum concordi vnanimitate consensit. Nam (quod Cornelium nostrum charissimum Deo & Christo, & Ecclesiæ eius, item consacerdotibus cunctis laudabili prædicatione commendat) non iste ad Episcopatum subito peruenit, sed per omnia officia Ecclesiastica promotus, & in diuinis administrationibus Dominum sæpe promeritus, ad sacerdotij sublime fastigium cunctis religionis gradibus ascendit. Tum deinde Episcopatum ipsum nec postulauit, nec voluit, nec vt cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, inuasit: sed quietus & modestus, & quales esse cõsueuerũt, qui ad hunc locũ diuinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non vt quidam, vim fecit, vt Episcopus fieret: sed ipse vim passus est, vt Episcopatum coactus exciperet. Et factus est Episcopus à plurimis collegis nostris, qui tunc in vrbe Roma aderant: qui ad nos literas honorificas, & laudabiles, & testimonio suæ prædicationis illustres, de eius ordinatione miserunt.

Cornelij electio qualis.

Nota de officiis, id est, Ordinibus Ecclesiasticis.

§. Cornelius virgo.

II. FACTVS est autem Cornelius Episcopus de Dei & Christi eius iudicio, de clericorum pene omnium testimonio, de plebis, quæ tunc adfuit, suffragio, & de sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio: cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri & gradus cathedræ sacerdotalis vacaret. Quo occupato Dei voluntate, atque omnium nostrũm consensione firmato, quisquis iam Episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est: nec habeat Ecclesiasticam ordinationem, qui Ecclesiæ non tenet vnitatem: quisquis ille fuerit, multum de se licet iactans, & sibi plurimum vendicans, profanus est, alienus est, foris est. Et cum post primum secundus esse non possit, quisquis post vnum, qui solus esse debeat, factus est, non iam secundus ille, sed nullus est.

Vtinam hæc attenderent nostri seculi nouatores.

III. TVM deinde post Episcopatum non exambitum, nec extortum, sed de Dei, qui sacerdotes facit, voluntate susceptum, quanta in ipso suscepto Episcopatu suo virtus? quantum robur animi? qualis firmitas fidei? Quod nos simplici corde & perspicere penitus, & laudare debemus: sedisse intrepidũ Romæ in sacerdotali cathedra eo tempore, cum tyrannus infestus Dei sacerdotibus, fanda atque infanda comminaretur, cum multo patientius & tolerabilius audiret leuari aduersus se æmulum principem, quam constitui Romæ æmulum sacerdotem. Nonne hic, frater charissime, summo virtutis & fidei testimonio prædicandus est? nonne inter gloriosos confessores & martyres deputandus, qui tantum temporis sedit, expectans corporis sui carnifices, & Tyranni ferocientis vltores, qui Cornelium aduersus edicta feralia resistentem, & minas, & cruciatus, & tormenta fidei vigore calcantem, vel gladio inuaderent, vel crucifigerent, vel igne torrerent, vel quolibet inaudito genere pœnarum viscera eius & memora laniarent? Etiamsi maiestas Domini protegentis & bonitas sacerdotem, quem fieri voluit, factum quoq; protexit: tamen Cornelius, quantum ad eius deuotionem pertinet & timorem, passus est quicquid potuit, & tyrannum armis & bello postmodum victum, prior sacerdotio suo vicit. Quod autem quædam de illo inhonesta & maligna iactantur, nolo mireris: cum scias hoc esse [a] opus semper diaboli, vt seruos Dei mẽdacio laceret, & opinionibus falsis gloriosum nomen infamet: vt qui conscientiæ suæ luce clarescunt, alienis rumoribus sordidentur. Exploraſſe autem collegas nostros scias, & verissime comperisse, nulla illum libelli, vt quidam iactant, labe maculatum esse: sed neque cum Episcopis, qui sacrificauerunt, communicationem sacrilegam miscuisse: sed eos demum, quorum causa audita, & innocentia comprobata sit, coniunxisse nobiscum. Nam de Trophimo, de quo tibi scribi desiderasti, non ita res est, vt ad te pertulit rumor & mendacium malignorum. Nam sicut & antecessores nostri sæpe fecerunt, colligendis fratribus nostris charissimus frater noster Cornelius necessitate succubuit: & quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte [b] nunc ad Ecclesiam Trophimo, & satisfaciente, & pœnitentia deprecationis errorem pristinum confitente, & fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate & satisfactione reuocãte, auditæ sunt eius preces, & in Ecclesiam Domini non tam Trophimus, quam maximus fratrum numerus, qui cum Trophimo fuerat, admissus est: qui omnes ad Ecclesiam regressuri non essent, nisi cum Trophimo comitante venissent. Tractatu ergo illic cum collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus: pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus: sic tamen admissus est Trophimus, vt laicus communicet, non secundum quod ad te maligniorum literæ pertulerunt, quasi locum sacerdotis vsurpet. Sed & quod passim communicare sacrificatis Cornelius tibi nunciatus est, hoc etiam de Apostatarum fictis rumoribus nascitur. Neque enim possunt laudare nos, qui recedunt: aut expectare debemus, vt placeamus illis, qui nobis displicentes, & contra Ecclesiam rebelles, solicitandis de Ecclesia fratribus violenter insistunt. Quare & de Cornelio, & de nobis quæcunque iactantur, nec audias facile, nec credas, frater charissime.

§. Cornelii eximia virtus & constantia.

Decium intelligit Baronius, probatque ex hoc loco viuente adhuc Decio Cornelium Pontificem creatum, anno scilic. 254. & vt putat circa Aprilem.

[a] Opus diaboli, seruis Dei obtrectare.

[b] Trophimus Apostata ad ecclesiæ fidẽ reuertitur.

Nota lector quid tribuendũ sit apostatis, dum catholicis detrahunt.

MARTYRIVM EIVSDEM S. CORNELII PONTIFICIS AB ADONE IN MARTYROLOGIO RECITATVM, ATQVE AB ILLVSTRIS. CÆSARE Baronio S.R.E. Cardinali, ex antiquis scriptis libris acceptum, diligenter recognitum & emendatum, scripto in margine Decij nomine, quod in textum irrepserat, & Volusiani, vt par erat, in textum restituto.

*Hab. s illud tom. 2. Annal. an. 255. §. 59. & seqq.

* al. Decius Cesar.

I. VM Cornelius vna cum presbyteris & diaconibus Romanæ Ecclesiæ Centumcellas missus exularet: * Volusianus Augustus audiens frequentem ad eum concursum, quodq; multi ad eum scriberent, & de [a] beato Cypriano id faciente, qui tunc ad eum scripserat de Celerino Lectore, qui multa tormenta passus erat, & alia de suscipiendo martyrio; iussit eum ad se Romam perduci. Exhibitusq; est ei noctu, & in † Tellude, Præfecto quoque vrbis præsente auditus, & ab eo interrogatus est: Sic definisti vt nec deos consideres, nec præcepta Principum, nec maiorum, nec nostras minas timeas, vt contra Rempub. literas accipias & dirigas? Cornelius Episcopus respondit: Ego de corona Domini literas accepi non contra Rempublicam.

[a] Est ea Cypriani Epistol 34. edit. Pamelianę.

† al. Tellure, templũ erat in quo sæpe senatus cogi cõsueuit.

Iratus

apparet ex Cicerone Philip 2. Dione hist

Iratus Imperator eum à suo conspectu amoueri iussit, vtque [a] os eius plumbatis cæderetur, & sacrificium Marti cogeretur offerre: &, si facere recusasset, capite plecteretur. Sed illo repugnante hoc facere, lata est sententia vt duceretur.

Rō lib. 44. & 46. & aliis S. Cornelij os plumbatis cæditur.

*al quinq.

b Cerealis vxor sanatur à S. Cornelio.

c Cerealis cum vxore & militibus baptizātur.

Martyrium S. Cornelij & sociorū.

II. TVNC Cerealis, cuius cura Cornelius custodiebatur, roganit beatum Papam vt veniret in domum suam, atque visitaret vxorem suam, quæ annis *quindecim iacebat paralytica (erat illi nomen Salustia) Ingressus est Cornelius in domum [b] Cerealis cum duobus presbyteris & vno clerico lectore. Dedit autem hanc orationem beatissimus Papa, dicens: Domine Deus, creator omnium visibilium & inuisibilium, qui dignatus es ad nos peccatores venire, vt nos saluos faceres; tu erige allisam hāc famulam tuā, & dona ei misericordiā tuam, sicut cœco nato donasti lumen, ad cognoscendam gloriam tuam. Et tenens manum Salustiæ, erexit eam dicens: In nomine IESV CHRISTI Nazareni surge, & sta super pedes tuos. Quæ protinus surrexit, clamans, & dicens: Verè Christus est Deus, & Dei Filius. Et dixit tunc Cornelio: Per Christum te coniuro baptiza me. Et currens impleuit vas aqua, & attulit ei. Viso tanto miraculo, milites quoque qui erant cum [c] Cereali, omnes se ad Cornelij Papæ pedes posuerunt, timentes, atque petentes se quoque baptizari velle. Cornelius videns Dei manum in his omnibus, baptizauit eos, & obtulit pro eis sacrificium laudis: & sic participati sunt omnes corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi.

*al. iuxta.

Translatio corporum SS. Petri & Pauli.

III. AVDIVIT hæc omnia Imperator, & mittens tenuit omnes, qui erant ex domo Cerealis, cum militibus baptizatis: qui simul cum beato Cornelio ducti sunt ad sacrificandum. Ducti autem sunt foras muros portæ Appiæ ad templum Martis vt sacrificarent. Sed illi facere nolentes atque expuentes in templum, decollati sunt vna cum beatissimo Papa numero vigintiunus, & cum eis Cerealis quoque cum vxore sua Sallustia decimooctauo Kalendas Octobris. Eadem vero nocte venit beata Lucina cum clericis & familia sua, & rapuit corpora martyrum, & sepeliuit ea in agro suo, in crypta * vbi est cœmeterium Callisti. *Hucusque acta passionis Cornelij & Sociorum ex Baronio: sequitur ex Adone.*

IV. HVIVS beatæ Lucinæ rogatu idem beatus Cornelius corpore Apostolorum de Catacumbis leuauit noctu: & posuit, Pauli quidem via Ostiensi, vbi decollatus est, Petri autem iuxta locum vbi crucifixus est, inter corpora sanctorum Episcoporum, in templo Apollinis in monte aureo, in Vaticano Palatij Neroniani, tertio Kalendas Iulias.

Ex S. Hieronymo de scriptoribus Eccles.

d Scripta Cornelii Papæ.

V. CORNELIVS Romanæ vrbis Episcopus, ad quem octo Cypriani extant epistolæ, scripsit Epistolam ad Flauianum (alij hunc dicunt Fabium) Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum, de [d] Synodo Romana, Italica & Africana: & aliam de Nouatiano, & de his qui lapsi sunt: tertiam de gestis Synodi: quartam ad eundem Flauianum valde prolixam, & Nouatianæ hæreseos causas, & anathema continentem. Rexit Ecclesiam annis duobus sub Gallo & Volusiano. Cui ob martyrium coronato, successit Lucius.

AN 250.

VITA ET MARTYRIVM BEATI CYPRIANI EPISCOPI CARTHAGINENSIS ET MARTYRIS ILLVSTRISSIMI, AVTHORE PONTIO EIVS DIACONO, VT TESTATVR S. HIERONYMVS libro de scriptoribus Ecclesiasticis.

14. SEPT.

Historiæ martyrum conscriptæ.

I. YPRIANVS religiosus Antistes, ac testis Dei gloriosus, tametsi multa conscripsit, per quæ memoria digni nominis superuiuat, etsi eloquentiæ eius ac Dei gratiæ larga fœcunditas ita se copia & vbertate sermonis extendit, vt vsque in finem mundi fortasse non taceat: tamen quia operibus eius ac meritis etiam hæc prærogatiua debetur, vt exemplum suum in literas dirigatur, placuit summatim pauca conscribere: non quod aliquem gentilium lateat tanti viri vita, sed vt ad posteros quoque nostros incomparabile & grande documentum in immortalem memoriam porrigatur. Certè durum erat, vt (cum maiores nostri plebeis & catechumenis martyrium consecutis, tantum honoris pro martyrij ipsius veneratione dederint, vt de passionibus eorum multa, aut prope dixerim, pene cuncta conscripserint, vt ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, peruenirent) Cypriani tanti sacerdotis & tanti martyris passio præteriretur: Qui & sine martyrio habuit, quæ doceret; & quæ dum vixit gesserit, non paterent: quæ quidem tanta, atque tam magna & mira sunt, vt magnitudinis contemplatione deterrear, ac imparem me esse confitear ad proferendum digne pro meritorum honore sermonem: nec posse sic prosequi facta tam grandia, vt quanta sunt, tanta videantur: nisi quod numerositas gloriarum sibimetipsa sufficiens, alieno præconio non eget.

†Parte facundiæ viribus deficimus, deficimus dico.

d Bona opera eius ante baptismū.

II. ACCEDIT ad cumulum, quod & vos de eo multum, aut, si fieri potest, totum desideratis audire, concupiscentes ardore flagranti vel facta eius cognoscere, etsi interim viua verba tacuerunt. In qua † parte si dixero vos opibus facundiæ defici, minus dico: facundia enim ipsa deficit digna facultate, quæ desiderium vestrum pleno spiritu satiet. Ita vtrinque grauiter vrgemur: Ille nos virtutibus suis onerat, vos nos precibus fatigatis. Vnde igitur incipiam? Vnde exordium bonorum eius aggrediar, nisi à principio fidei, & natiuitate cœlesti? Si quidem hominis Dei facta non debent aliunde numerari, nisi ex quo Deo natus est: [d] Fuerint licet studia, & bonæ artes deuotum pectus imbuerint: tamē illa prætereo. nondum.n. ad vtilitatem, nisi seculi pertinebāt. Postquam & sacras literas didicit, & mundi nube discussa, in lucem sapientiæ spiritalis emersit, si quibus eius interfui, si qua de antiquioribus comperi, dicam: Hanc tamen petens veniam, vt quicquid minus dixero, (minus enim dicam necesse est) ignorantiæ meæ potius, quam illius gloriæ derogetur.

En tibi præclarū continentiæ exemplum, hæreticis valde inuisum.

† rigore. Matth. 10

e Res suas elargitur pauperibus. Osee. 6.

† incredibiliter.

* messis.

III. INTER igitur fidei suæ prima rudimenta, nihil aliud credidit Deo dignum, quam si continentiam tueretur. Tunc enim posse idoneum fieri & pectus & sensum ad plenam veri capacitatem, si concupiscentiam carnis robusto atque integro sanctimoniæ † vigore calcaret. Quis vnquam tanti miraculi meminit? Nondum secunda natiuitas nouum hominem splendore toto diuinæ lucis oculauerat, & iam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat. Deinde quod maius est, cum de lectione diuina, quædam iam, non pro conditione natiuitatis, sed pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit, quod inuenit promerendo Domino profuturum. Distractis [e] rebus suis ad indigentiam multorum pauperum sustentandam, tota prædia precio dispensans, duo bona simul iunxit, vt & ambitionem seculi sperneret, qua perniciosius nihil est: & misericordiam, quam Deus etiam sacrificiis suis prætulit, quam nec ille, qui legis omnia mandata seruâsse se dixerat, fecit, impleret: & præpropera velocitate pietatis, penè ante cœpit perfectus esse, quam disceret. Quis, oro, de veteribus hoc fecit? Quis de antiquissimis in fide senibus, quorum mentes & aures per plurimos annos diuina verba pulsauerant, tale aliquid impendit, quale adhuc rudis fidei homo, & cui nondum forsitan crederetur, supergressus vetustatis ætatem gloriosis & admirandis operibus perpetrauit: Nemo metit statim, vt seuit: nemo vindemiam de nouellis scrobibus expressit: nemo adhuc vnquā de nouiter plantatis arbusculis matura poma quæsiuit. In illo omnia † incredibilia cucurrerunt. Præuenit, (si potest dici, res enim fidem non capit) præuenit, inquam, * tritura sementem, vindemia palmitē, poma radicem.

AIVNT